



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. VII. An dentur actiones morales, conducentes ad salutem secundum
solum modum supernaturales?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

116 Respondeo Secundò, etsi assensus circa præmissam de fide supernaturalis effectiue concurreret ad assensum conclusionis; hunc tamen non fore supernaturalem: quia ille assensus non aliter ad hunc concurreret, quàm si esset merè naturalis. nam assensus præmissarum non aliter concurrat ad assensum conclusionis, quàm quatenus perceptibiliter inclinat intellectum ut huic assentiatur: atqui siue assensus sit naturalis, siue supernaturalis, eodem modo eum in nobis percipimus (nam non possumus in nobis villo modo distinguere, an noster assensus sit naturalis an supernaturalis) & consequenter eodem modo perceptibiliter intellectum inclinat ad assensum conclusionis: ergo eodem modo ad huius productionem concurrat. Vnde vterius iuxta dicta nu. 108. sequitur, eum concursum actus supernaturalis non sufficere ut assensus conclusionis sit supernaturalis.

117 Dices Secundò, Ille effectus est necessariò supernaturalis in sua substantia, qui necessariò requirit aliquod principium effectiuum supernaturale: atqui hic assensus est talis: ergo est supernaturalis. Respondeo, antecedens tantum esse verum, quando actus per se requirit tale principium, & quidem modo supernaturali influens: ut autem iam ostendi, assensus theologicus nec per se requirit tale principium, sed solum ratione status subiecti ac præsentis Dei ordinarionis; nec requirit viliud modo supernaturali in se influat.

Quidò effectus requirit principium supernaturale sit supernaturalis.

118 CONCLUSIO III. Habitus theologicus est in se naturalis, & actibus nostris acquiritur, sicut alij habitus acquisiti. ita Vasquez citatus n. 103. & Turrian. 2. 2. disp. 4. dub. 2. §. Tertiò, si habitus. ubi ait esse communem. Sequitur ex dictis; nam si assensus theologicus sit in se naturalis, nulla est ratio, cur eius habitus sit supernaturalis, nobisque debeat infundi. His adde, per se videri parum veritati consonum, Deum nobiscum habitum etiam existentibus extra gratiam supernaturaliter infundere, cum hoc nulla ratione ad salutem necessarium sit.

Vasquez. Turrian.

119 Respondent aliqui, habitum theologicum eundem esse cum habitu fidei. sed hoc dici nullo modo potest: nam cum actus fidei habeat obiectum formale penitus distinctum ab obiecto formali assensus theologici (nam ille fertur in obiectum præcisè propter auctoritatem Dei reuelantis, hic propter euidenter connexionem conclusionis cum præmissis fidei aut lumine naturali cognitis) non magis possunt habere eundem habitum quàm actus caritatis & spei. Adde, secundum illam sententiam, quicumque haberet habitum fidei maiorem, eum fore maiorem Theologum; & contrà, quæ experimur falsa.

Assensus theologicus habet obiectum formale omnino distinctum ab obiecto actus fidei.

120 Dices, Idem est habitus principiorum & scientiarum: ergo idem est habitus fidei & Theologiæ. Respondeo Primò, nego antecedens: nec enim est vlla ratio id affirmandi. Respondeo Secundò, etsi hoc in scientijs propriè dictis (in quibus tam assensus principiorum quàm conclusionis nituntur naturali euidencia, atque ita sunt aliquo modo eiusdem rationis) esset verum, secus tamen dicendum esset in Theologia:

Assensus principiorum & conclusionis habent diuersos habitus.

nam in hac non solum assensus conclusionis est omnino diuersæ rationis ab assensu fidei, sed etiam sæpè assensus præmissarum sunt inter se diuersissimæ rationis: nam vna est actus fidei, altera euidens cognitio; quæ habent habitus penitus diuersos, atque ita respectu assensus conclusionis nequeunt constituere vnum habitum.

Ex his demum sequitur, habitum theologicum posse manere in hæretico; in eo tamen nequit elicere verum assensum theologicum ob dicta nu. 110. eliciet tamen assensum ei similem, sicut is qui ex principijs naturalibus non omnino euidenter cognitis deducit conclusionem, huic assentitur assensu simili scientiæ, non tamen vera scientia.

121 Habitus theologicus manet in hæretico, non tamen actus.

D V B I V M VII.

An dentur actiones morales, conducentes ad salutem secundum solum modum supernaturales?

122 Nota Primò, actionem aliquam secundum substantiam naturalem varijs modis posse secundum modum esse supernaturalem. Primò, ratione alicuius modi ipsi termino intrinseci: ut cum accidens producit aut conseruatur extra subiectum: habet enim modum existendi supernaturalem, ideoque eius productio ac conseruatio sunt supernaturales, quia virtute naturali fieri nequeunt. Secundò, ratione modi soli ipsi actioni intrinseci: ut si ignis Deo singulariter concurrente in subiecto frigidus produceret intensum calorem in instanti; tota supernaturalitas consisteret in celeritate productionis. Tertiò, ratione impedimenti aut defectus existentis in virtute actiua operantis: ut si quis lippis aut velatis oculis clarè videat, aut sine habitu facilè & expedite operetur, aut claudus rectè & celeriter ambulet. Quartò, ratione intentionis operantis, qua ipsa actio ad finem supernaturalem dirigitur. sicut enim actio secundum se indifferens facta ex bono fine dicitur bona, ita facta ex fine supernaturali dicitur aliquo modo supernaturalis per denominationem extrinsecam.

122 Actio variæ ratione potest esse supernaturalis secundum modum.

Nota Secundò, sicut homini, qua animali, naturale est viuere vita sensitua, atque appetere quæ huic conueniunt, & fugere contraria; ita eidem qua rationali, naturale est viuere secundum rationem, & sectari virtutem, eaque fugere quæ huic contraria sunt. Quatuor tamen sunt quæ hæc ei reddunt valdè difficilia; atque adeò omnino impossibile ea sine interruptione siue sine peccato longo tempore continuare, nisi ab extrinseco adiuetur.

123 Homini qua rationali naturale est viuere secundum rationem: ad hoc tamè indiget auxilio ob quatuor impedimenta.

Primum est, dependentia nostri intellectus à sensibus, sine quorum opera nihil potest concipere; vnde fit ut, nisi aliunde inueniatur, spiritalia (quia à sensibus remota sunt) valdè tardè, languidè, confusè & obscurè concipiat, ac voluntati repræsentet. Contrà verò bona ac mala sensibilia valdè citò, fortiter & viuaciter apprehendit, ac voluntati repræsentat. vnde vterius fit, quod voluntatem in horum amorem vel odium

Difficulter apprehendimus spiritalia, ipsæ mouemur.

Imaginatio
nobis reddit
viam virtu-
tis difficile.

odium vehementer conciter, & ad amorem rerum spiritualium vix languidè ac tardè trahat. Secundū, est conditio nostræ imaginationis, quæ bona spiritualia nequit apprehendere, corporalia verò (sub quibus etiā comprehendere honore, famam, & similia) faciliè & ferè vehementer apprehendit, atque ita concupiscentiam ad ea apperenda vehementer impellit, ac simul humores ac spiritus vitales in nobis concitat, quibus concupiscentiam magis inflammatur, & ratio impeditur.

Tertium, est connexio partis superioris cum inferiore, qua efficitur ut vniū passionis siue commotionis in alteram deriuentur. & Quartò, demum hanc difficultatem bene viuendi augmentationes extrinsecus ortæ ex malo aliorum consortio, & demonis instigationibus.

124
Qua ratione
supradicta
reddant viam
virtutis diffi-
cilem.

Ex quibus fit Primò, quod intellectus ferè continuò impellatur, ut fortiter apprehendat bona vel mala sensibilia in quæ sensus ubique incurrunt, eaque imaginationi, & per hanc intellectui continuò ingerunt, atque ita voluntas ad corporalia bona amanda, & mala fugienda ferè continuò importunè concitatur.

Fit Secundò, quod continua eaque summa vigilantia ac contentione opus sit ut impediamus ne intellectus neglecta boni honesti consideratione, totus feratur in considerationem alicuius boni delectabilis illiciti per imaginationem sibi propositi, aut ne voluntas à concupiscentia illecta hoc præ illo amet. hanc autem vigilantiam ac contentionem diu continuare, ita ut homo in tot ac tam varijs casibus semper sibi præsens sit, ac voluntas continuo nisu concupiscentiæ inuicta resistat, humanas vires ac industriam superat; quare liberum arbitrium nisi diuinj adiuuentur, infallibiliter sæpe caderet, nec poterit diu ex rationis præscripto in nobis agere.

125
Difficultas
bene viuendi
ex nostra na-
tura oritur.

Ex quibus sequitur, hanc difficultatem continuò viuendi ex præscripto rationis, siue omnia vitia fugiendi, provenire ex ipsa hominis naturali constitutione; quia tres priores fontes, ex quibus supra ostendimus eam oriri, homini naturales sunt. quare hæc difficultas saltem ex hac parte, siue ex tribus illis prioribus capitibus omnino eadem fuisset in statu puræ naturæ, quæ iam est saltem in ijs, qui vicijs habitibus nondum sunt infecti. & consequenter in utroque statu eadem fuisset necessitas diuini auxilij ad totam legem naturæ seruandam.

126

Nota Tertio, hæc auxilia esse partim externa, partim interna. Prioris generis sunt talis gubernatio totius vniuersi, ex qua constet Deum habere rerum omnium prouidentiam, & punire peccata, ac virtutes præmiare: quod vel ex Dei testimonio, vel aliunde constare potest. Item cohibitio demonis, ne nos plus tentet, quam possumus ferre. Tertio, exempla & adhortationes bonorum hominum: bonæ diuinæ aut humanæ leges, quæ nos timore pænæ & spe præmij à vitijs ad virtutes auocent, & similia. Secundi generis sunt illustrationes intellectus, quibus fit ut hic malitiam peccati, & bonum virtutis vehementius apprehendat; item commotiones voluntatis ad vitia fugienda, &

virtutes sectandas, quæ illas intellectus apprehensiones communiter sequuntur, nisi in voluntate sit aliquod impedimentum. Non est autem (nisi fortè in ordine ad dispositionem ad iustificationem, aut meritum gloriæ æternæ) necesse, ut hæc illustrationes & commotiones sint ordinis supernaturalis; sed sufficit quod sint similes ijs, quas inopinatus & acerbus alicuius peccatoris casus, aut vehemens & ingenio nostro accommodata concionatoris oratio in animis nostris excitare naturaliter solent.

Nota Quarto, ex dictis supra num. 8. illud dicalicui naturale, sine quo nullo modo secundum naturæ suæ exigentiam esse aut conseruari potest; atque ita concursus Dei generalem ei dici naturalem. Sicut autem homo qua animal, exigit naturaliter ea omnia auxilia, quæ ei simpliciter concursus sunt ut vita animali viuatur, ideoque hoc ipso quo Deus cum talem creauit, ad eum tanquam naturæ auctorem spectat, ei subministrare auxilia ad illud necessaria, scilicet concursus generale. Ita homo, quatenus est rationalis, naturaliter exigit ea auxilia, quæ ei omnino necessaria sunt, ut possit secundum rationem vivere, omnia peccata rationi contraria, saltem mortalia, vitando; & ad Deum tanquam auctorem naturæ rationalis spectat, hæc ei subministrare. Quare sicut illa auxilia sunt homini connaturalia considerato secundum esse naturæ, ita hæc sunt ei suo modo connaturalia secundum esse rationale, siue secundum esse moris considerato, & quatenus virtutis ac vitijs est capax.

Vnde sequitur, si Deus hominem creasset in statu puræ naturæ, istiusmodi auxilia ad viuendum secundum dictamen rationis necessaria, ei futura fuisset debita, & consequenter etiam connaturalia, ferè eodem modo atque concursus generalis ei debitus ac connaturalis est. Secus tamen est in statu præsentis, in quo nobis secundum modum sunt supernaturalia; præsertim auxilia interna. Idque Primò, quia per peccatum primi parentis facti sumus omnino indigni omni diuino auxilio; & consequenter quæcumque eiusmodi auxilia dantur, dantur nobis indebita, & quidem propter merita Christi, atque ita ex causa supernaturali. Secundò, quia dantur ex fine supernaturali, ut scilicet ijs adiuti bene viuamus, & paulatim ad gratiam ac æternam gloriam perueniamus.

CONCLUSIO. Actiones iustorum externæ, vitæ æternæ meritorie sunt maxima ex parte secundum substantiam naturales, & secundum modum supernaturales. Prior pars patet, quia secundum substantiam eodem modo sunt, ac si non essent meritorie, imò similes actiones possunt ex malo fine fieri; ut patet in donatione eleemosynæ, ieiunio, & similibus; quæ patet malè fieri posse.

Secunda pars probatur, quia imperantur ex fine supernaturali, & à volitione supernaturali: nam, ut ostendam disput. 8. dub. 4. conclus. 4. omnis actus internus, vitæ æternæ meritorius, est in sua substantia supernaturalis. Dixi, maxima ex parte, &c. Quia fides, operatio miraculorum, & similes quædam actio-

127

128
Auxilia ad
bene viuendū
necessaria
fuisse homini
in statu puræ
naturæ con-
naturalia:
iam tamen
sunt super-
naturalia.

129

nes externæ sunt in substantia supernaturales.

130

CONCLUSIO II. Existentes in peccato mortali, tam fideles, quam infideles sæpè faciunt aliqua opera etiam interna remore conducentia ad salutem, secundum modum solum supernaturalia. Probat, quia secundum communem Theologorum sententiam sæpè faciunt aliqua opera moraliter bona, v. c. volendo dare eleemosynam, audire concionem, & similia, quæ sunt causa cur Deus ijs inspiret ulteriorem gratiam, qua convertuntur; atque ita illa opera ipsis ad salutem conducunt. Item, Deus sæpissimè prius sua gratia etiam interna eos ad eiusmodi opera faciendâ excitat. Imò hoc semper fit, quoties ea opera ipsis directè, siue per se sunt causa cur Deus ijs ulteriorem gratiam det, quia tunc ijs directè & propriè ad salutem conducunt. & ut patet ex Arausico can. 3. 4. 5. 6. omnia opera ita ad salutem conducentia necessariò fiunt ex gratia. Vnde sequi-

Araus.

tur, ea saltem secundum modum esse supernaturalia, tum ratione sui principij, tum ratione finis, in quem ab operante, aut ipso Deo diriguntur.

Quòd autem eiusmodi opera sint secundum suam substantiam naturalia, inde patet, quia cum nec meritoria sint vitæ æternæ, nec ab habitu supernaturali proficiuntur, nec ad statum supernaturalem hominem transferant, nec habeant obiectum quod virtute naturali nequeamus attingere, nulla est ratio cur dicamus ea esse in substantia supernaturalia; præsertim facta ab infideli: nam omnes fatentur, primum actum in substantia supernaturalem in nobis esse fidem, sub qua comprehendendo volitionem quæ hæc imperatur. Nec refert quòd hæc opera necessariò procedant à principio supernaturali, scilicet gratia præueniente; quia hoc principium potest esse solum secundum modum supernaturale iuxta dicta n. 128.

131

DISPUTATIO V.

De differentia & excellentia actuum supernaturalium, respectu naturalium?



UM inter omnes, qui admittunt actus supernaturales in substantia, conflet, hos necessariò essentialiter distinguere à naturalibus, & esse his perfectiores; magna tamen difficultas est, vnde hi actus hoc primò & per se habeant, an scilicet ab obiecto; an à principio suo effectiuo? Quæ difficultas hinc nobis explicanda est, ut possimus naturam illorum actuum, & quæ ratione circa suum obiectum versentur, agnoscere.

D V B I V M I.

Utrum actus perfectior habeat semper perfectius obiectum, saltem formale?

1 Quidam id generatim affirmant. Primò, quia actio accipit speciem ab obiecto formaliter ergo etiam perfectionem. Secundò, quia ideo actus virtutis theologice sunt alijs perfectiores, quia habent perfectius obiectum. Tertiò, quia ideo scientia est perfectior opinione, quia habet perfectius medium: atqui medium est obiectum formale respectu assensus conclusionis: ergo perfectius obiectum causat actum perfectiorem. Huius sententiæ videtur Caiet. 2. 2. qu. 27. a. 7. ubi probat dilectionem amici esse meliorem & perfectiorem dilectione inimici, quia illa habet perfectius obiectum. sed ipse ibi agit de perfectione morali, & in ratione meriti, nos autem hic agimus de perfectione physica.

Caiet. 2.

2 Dicta autem sententia visa mihi est semper valde difficilis: nam inde sequeretur Primò, duos habentes inæquales in perfectione poten-

Coninck de act. supernat.

tias, v. c. lippum & acutum habentē visum, circa idē obiectum præsertim æqualiter propositum elicere æquē perfectam visionem. Secundò, me nō posse idē obiectum amare modò perfectius, modò imperfectius, nisi mutetur ratio eius formalis, siue nisi id ob rationē formale aliquo modo diuersam amem. Quæ tamen aperte absurda sunt: nā, sic pro solis mea libertate possum obiectum eodē modo mihi propositum modò amare, modò non amare: ita possum id modò perfectius, modò imperfectius amare. Illa autem sequi, probatur: quia si perfectio actus sit sumenda à sola perfectione obiecti, quoties erit omnino idem obiectum, erit eadem actus perfectio: quòd si non sit sumenda ab eo solo, sed simul etiam à perfectione potentie, aut maiore ipsius conatu in actum; poterunt hæc tantum in perfectione crescere, ut circa imperfectius obiectum perfectiorem actum eliciant.

Dices, hinc tantum sequi, me circa idem obiectum posse elicere actionem perfectiorem aut imperfectiorem accidentaliter: illam autem sententiam esse intelligendam de perfectione substantiali ipsius actus, quæ sumitur ex sola diuersitate ipsius obiecti formalis, à quo illa essentialiter pendet.

Sed contrā facit, quòd ex dicta sententia sequeretur Primò, mathematicas cognitiones inter omnes humanas esse imperfectissimas, cum earum obiecta sint numeri & proportionēs, quæ sunt res nullius ferè entitatis, atque adeò imperfectissimæ. Item cognitionem quam naturaliter habemus de rebus spiritualibus, esse inter omnes nostras cognitiones perfectissimā, quia eius obiectum perfectissimum est. Cum tamen contrā accidat: nam illæ cognitiones in-

4 Circa obiecta perfectiora eliciamus sæpè cognitionem minus perfectam.

H ter